

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Dissertatio Theologica Inavgvralis De Acqvirenda Vitæ
Sanctitate, ...**

Lütkemann, Timotheus

Gryphiswaldiæ, [MDCCXXXVIII?]

VD18 13281119

Vorwort

urn:nbn:de:gbv:45:1-15706



PRÆFATIO.



*Q*uemadmodum omnia sanctioris doctrinae capita arctissimo inter se vinculo coherent, & si unus articulorum theologicorum, certe fundamentalium, ignoretur, vel plane impugnetur, notitia divinatorum dogmatum, quatenus ad salutem est necessaria, sibi met ipsi non constat: ita de hac veritate nihil testatur clarius, quam ipsa sanctitatis vitae meditatio, quae, cognitionem & praxin sororio vinculo unitas, adeoque nunquam non connectendas esse, evidentissime docet. Qualis enim illa foret sanctitas, quae per divinam scripturae sanctae efficaciam non formaretur, ad eandemque, tanquam ad amissim, in exercitium non deduceretur? Nonne stultus foret ille conatus, quo sine Dei Tri-

A ninius

nunius notitia ad ipsius cultum te accingeres? Num illum, cui rerum omnium Conditorum ac Conservatorem in effectis suis querere & admirari volupe est, opera ejusdem, quibus in regno naturæ se manifestavit, sine detrimento latere posse crederes? Et, cum post gloriam Dei salus æterna cuilibet pio semper ante oculos versari debeat, qui fieri posset, quin animus ejusdem circa beatitudinem, & quæ eo spectant, ut cognitu jucundissima, ita desideratissima, occupatus deprehendatur? Pari ratione notitia tam integri hominis ante, quam corrupti, post lapsum, sanctis Dei prorsus est necessaria, cum illa, quæ amissa sint, & observato salutis ordine, recuperari queant, non minus, quam, quæ fugere & averfari teneamur, nos edocere possit. Gratia Dei inexhausta, sine qua nihil in spiritualibus possumus, & Christus, quæ Personam, Officia & status spectatus, salutiferi sunt illi fontes, unde vires ad surgendum e profundo peccati somno, & ad persistendum in vera sanctimonia robur sufficiens avide regenitis hauriuntur; cumque sine fide mores Deo acceptos vel fingere nefas sit, hanc, qua omnes suas partes, non nosse solum, sed & tenere & exhibere, primum ac postremum puræ mentis amantium studium recte dices. Nosse, quid sit conversio ac regeneratio, quid justificatio Peccatoris coram Deo per fidem, quid sancti-

sanctificatio, seu renovatio, nosse naturam & virtutes baptismi, regenerationis, & sacrae cœnae, confirmationis, ut ex rei veritate loquuntur Theologi, sacramentorum, homo Dei non nequit; quem quoque de Ecclesia Christi recte sentire, ejusdemque characteres in numerato habere, ut & de Ministerio Ecclesiastico sufficienter instructum esse, sine dubio decet. Idem de reliquis, quæ forte non adducta sunt, doctrinis theologis statuendum est, in quibus quippe recensendis nolui prolixus esse. Cum itaque tam late pateat sanctitatis campus, quid mirum, quod veros ejusdem cultores per totam vitam, vel maximam ejus partem, rebus divinis & cœlestibus vacare deprehendas, nec quidquam magis ipsis in votis sit, quam ut sanctiorem vitam conservent ac tueantur. Me quod attinet, cum SUMME REVERENDA FACULTAS THEOLOGICA GRYPHISWALDENSIS, præviis modestis petitis meis, mihi concesserit, ut, exploratis in examine rigoroso qualibuscunque studiis meis theologis, eorundem specimen quoddam dissertatione inaugurali, quâ via mihi ad capessendos summos in Theologia honores paretur, IPSI exhiberem: officii mei memor, quod a me poscit, ut mandato curæ meæ gregi, positus per explicationem & inculcationem veræ ac salutariæ doctrinæ solidis fundamentis, sanctimoniam vi-



*tæ sedulo & indefesso studio commendem, de argu-
 mento disputationis eligendo non diu anceps hæ-
 si, sed de sanctitate differere apud me constitui, spe-
 rans fore, ut hac ratione meipsum & alios ædi-
 ficandi commodam occasionem sim consecuturus. Ve-
 rum enim vero, non raro, prob dolor! falluntur ho-
 mines falsa isthac persuasione, quod sanctimonia
 ipsis jam sit propria, a qua tamen multis para san-
 gis sunt remoti. Unde fit, ut sine necessaria noti-
 tia, ac sine requisitis spiritus sancti charismatibus,
 semet ipsos in integritate vitæ conservare studeant,
 quam nunquam acquisiverunt. Hinc operam illam
 fructu non carituram confido, qua vera sanctitatis
 acquirendæ via monstratur, quam itaque succincte
 delineare pro ingenii modulo plagulis hisce tentavi.
 Contenta & ordinem dissertationis conspectus, ei-
 dem præmissus, uno patefaciet obtutu, quare de iis-
 dem nihil addendum puto. Certo certius sum per-
 suasus, opellæ hujus objectum pergratum piis ani-
 mabus fore; hinc eo facilius ignoscent auctori, si for-
 te in pertractatione non omnia sat accurate sint
 observata, quæ ad *ἀκρίβειαν* & perspicuitatem omni-
 bus numeris absolutam desiderari poterant.*

Con-



Conspectus Dissertationis.

- | | |
|--|--|
| <p>§. I. De vocabuli Sanctitatis significatione.</p> <p>§. II. Sanctitas vitæ a nobis requiritur.</p> <p>§. III. Quid sit sanctitas vitæ.</p> <p>§. IV. Subjectum ejus sunt Angeli & Homines.</p> <p>§. V. Horum soli Regeniti ejusdem sunt capaces.</p> <p>§. VI. Deus sanctitatem operatur, & ejus consequendæ media largitur.</p> <p>§. VII. Acquisitio sanctitatis est possibilis.</p> <p>§. VIII. Licet aliter homini naturali videatur.</p> <p>§. IX. Ob impedimenta in & extra ipsum obvia.</p> <p>§. X. Illuminato difficultas sanctitatis disparet.</p> <p>§. XI. Qui non ratione corrupta, sed revelatione divina utitur duce.</p> | <p>§. XII. Baptismus in infantibus sanctitatem operatur.</p> <p>§. XIII. In adultis per verbum divinum sanctitas producitur.</p> <p>§. XIV. Quod in illis operatur agnitionem peccatorum.</p> <p>§. XV. Et offert Christum fide apprehendendum.</p> <p>§. XVI. Quod si fiat, sequitur ipsa justificatio.</p> <p>§. XVII. Justificatus homo sanctus est Deumque recte colit ac diligit.</p> <p>§. XVIII. Proximum amore prosequitur sincero, & ipsi officia debita præstat.</p> <p>§. XIX. Semetipsum sobrie diligit, tamque menti, quam corpori proprio, prospicit.</p> <p>§. XX. Hinc status felicissimus oritur hominis, qui veram vitæ sanctimoniam servat.</p> |
|--|--|

§. I.

Sanctum est, voce in sensu latissimo accepta, quod ab usu communi separatum præstantiori reservatur usui, & opponitur rei viliori & ubivis obviæ. Est enim vox *sanctus* a verbo *sancire*, religiose